

13.

J. J. S. T.  
L I V O N I A  
Livonorum veterum  
(Lettiorum) Originem, sedem,  
annum, mensesque enarrabit,  
Quod argumentum pro viribus  
ventilabunt  
*P R A E S E S*  
**M. HERMANNUS Becker/**  
Lemfalia prope Rigam Livonus,  
&  
*Respondens*  
**CHRISTOPHORUS SIGISMUNDUS**  
**Hoffmann /**  
**Goldberga Silesius,**  
Ad constitutum diem 27. Julii,  
*Anno recuperatae salutis 1701.*

Coll. diss. A  
7. 47

VITEMBERGAE,  
Typis MARTINI SCHULZII ACAD. TYPOGR.



a. VII. 47.

CHRISTOPHORUS SIGISMUNDUS  
LONDINENSIS  
MUSICOLOGUS  
ACADEMICUS  
ET PRAESES  
SOCIETATIS  
PHYSICO-MATHEMATICA  
ET NATURALISTICA  
LONDINENSIS  
AD EDITIONEM TERTIAM  
REFORMATAM ET AUGMENTATAM  
RESTITUTUS  
TOMVS I.  
IV. ANNO. MDCCXXI.



## PRAEFATIO.

Alubri superiorum consilio morem esse gerendum, nemo facile inficias ibit. Atque haec est causa, cur de integro nunc operi qualicunque historico de rebus patriis manus admoveam, in illudque nervos meos intendam. Pertractandum illud jam mihi sumo argumentum, quod primo loco ponendum erat. Agendum proinde de origine Lettiorum. Constat mihi satis superque, scriptores varie de ea sentire. Adducam autem ex his ea, quae verosimilia videntur, fidemque haud dubiam merentur. Quae desunt forte propter communem patriae calamitatem, & jure desiderantur, illa ut suppleas L.B. oro obsecroque. Nec deero ipse, si DEUS vitam viresque concesserit, ut ea, quae hactenus commemoravi, adaugeam, & illa, quae minus recte posita videbuntur, solicite emendem. Sed cum ordo in omnibus hominum actionibus tenendus sit, praesens haec dissertatio duo capita continebit. Primum Lettiorum originem, alterum illorum annum, mensesque ante oculos ponet.

### CAP. I. De Lettiorum Origine.

#### §. I.

Dulce omnino aequa ac perutile est, nosse gentis peregrinae originem, deque ea & ornata & prudenter posse commentari. Haec vero notitia non nisi ex probatisimis, fideque dignis scriptoribus comparanda est.

A 2

Gen-

Gentis equidem Letticeae tanta non est dignitas, quanta Germanorum, aliarumque illustrium nationum. Neque tamen illa prorsus silentio involvenda, cum nulla adeo abjecta & fortis inferioris gens facile reperiatur, de qua non unum alterumque observatu, & eruditorum expectatione dignum argumentum, & exstet literis & conspiciatur. Idem de gente mea Lettica censendum est.

§. 2. Quodsi de populi hujus origine quaestio instituatur, fateor lubens, hoc argumentum magnae esse difficultatis. Afferam tamen, quae invenire, & legere licuit. Sunt nonnulli in hac sententia, ut putent, Lettios suam originem ducere a Gibeonitis. De his inter omnes, qui sacras amant literas leguntque diligenter, abunde constat, quod dolo quodam inducti Josuae filii que Israelitarum se dederint, dicentes, se ex locis remotissimis venisse, cum tamen ex populis finitimi essent. Unde factum est, ut Gibeonitae suam ob fraudem a Josua diris devoti, atque ad servitutem redacti, & hinc inde vagati, tandem ad terras Livonicas pervenerint, in iisque domicilia sua figere coeperint. Atque hanc esse causam asserunt scriptores, cur propter maledictum, quod Josua Gibeonitis imprecatus, in hanc usque horam Lettii mancipia Germanorum sint, iisque durissima quaeque servitia praestare teneantur. Sed haec sententia solidis argumentis destituta videtur. Neque desunt tamen alii, arbitrantes, Lettios a Graecis ortos, illorumque posteros esse. Cum enim Alexander Magnus pleraque regna, gentesque cum valido instructoque exercitu occupasset, sibiique subjecisset, fugae Graeci se dederunt, timore perculsi, atque sensim Livoniam petierunt. Alexander autem quocunque cursum suum dirigebat, victor superior que

que discedebat. Id quod optimi quique historicorum memoriae prodiderunt. Juvat Justinum adducere, qui in hanc sententiam de Alexandro scribit : cum nullo hostium unquam congressus est, quem non vicerit : nullam urbem obsedit, quam non expugnaverit : nullam gentem adiit, quam non calcaverit. *Lib. XII. c. 16.* Igitur his victoriis Graeci ex terra sua expulsi, in Livoniam venisse videntur. Opinionis huic ego adeo non repugno, neque tamen aliis eam obtrudo, sed unicuique sensu suo abundare permitto. Cur autem ab hac sententia haud recedam, rationes me movent sequentes : prima, quia lingua Lettica , sive, Curonica, multa nominis initia a graeca repetit, cum eaque multis in locis suaviter consentit , quemadmodum mecum sensuros spero omnes, qui linguae Curonicae periti sunt : altera mea ratio haec esse videtur, quod Lettii & Curones multos dies festos, quorum etiam mos apud Graecos obtinuit, agitarint. *Vid. Dissertatio mea de Livonorum veterum sacris c. I. §. 6.* Ego, ut jam dixi , neminem temere adigo, ut opinioni huic fidem habeat, sed ei assentior, si meliores rationes, fidem haud incertam merentes, afferre posse. Siquidem haec consecutionis ratio infirma propemodum est : haec aut illa gens ab hac illave natione quid mutuo quasi accepit, & cum eadem, vel in lingua , vel diebus festis communia nonnulla habet: ergo ab illa gente originem suam trahit. Quapropter existimo, me nihil adversi commissurum, si adhuc de aliquot argumentis, ad scopum meum facientibus, solicitus parum sim. Reperiuntur alii hac imbuti sententia, Lettios VVestro-Gothis originem suam debere. Quae sane opinio non caret fundamentis, sed veritati satis consentanea videtur. Singulare ego has ineo rationes , posteaquam rem ipsam plus simplici vice,

animo mecum reputavi, quod post dissipationem, factam ad turrim Babylonicam, Lettii hinc inde vagati progressu temporis ad oras, quae hodie vocantur, Livonicas, advolarint. Num vero Esthones, vel Livoni, specatim sic dicti, sive, Lettii, vel Curoni primi fuerint, de hoc argumento paucis dicam.

§. 3. Evidet me non fugit, esse nonnullos, qui in vocabulis sententiae suae recte probandae, stabiendiæque argumentum quaerere connituntur. Esthones enim dici autumant a vocabulo Germanico *erste*/vel, *der erste*/quia hi primi Livoniae incolae fuerunt. Hos Esthones proprie Livonos vocari, nonnulli volunt. Ediverso, qui ad sinum Angaricum habitant, se antiquissimos Livoniae habitatores praedicant, atque in se nomen veterum Livorum speciatim dictorum cadere, pro certo affirmare conantur. Qua de causa linguam suam, qua utuntur, Livonicam nominant, Esthonusque appellationem recusant, cum tamen negari non possit, illos dialectum Esthonicam habere ac exercere. Si de his satis solidæ essent documenta, quae evincerent, eos primos Livoniae incolas esse, ego huic opinioni suffragarer.

§. 4. Sed alterum nomen'expendendum occurrit, quod est Lettiorum. Hos appellari quidam rati sint, itidem a verbo Germanico *der Letzte* / quod post Esthones exorti, atque sic ultimi Livoniae incolae dicti sint. Quid de hac sententia habendum sit, unicuique liberam judicandi facio facultatem. Quod ad me attinet, ego contra hanc opinionem sto, ac omnino hujus sum sententiae, in eaque constanter persevero, quod nomen Lettiorum a vocabulo quodam Livonicō descendat. Hujus rei in Propositionibus Livonicis, **PRAESIDE SCHURZFLEISCHIO**, habitis, Prop. I. rationem, ut puto, satis exa-  
ctam.

etiam dedi. Consentit mecum! Auctor novissimae Ensiforum historiae *SCHURZFLEISCHIUS* Junior, Prof. Hist. substitutus publicus dignissimus, & rerum harum oppido peritus. *Vid. libellus de Ensiferis erudite & prudenter conscriptus Diplomat. p. 9.* Addere tamen quaedam non piget. Lettii semetipsos in lingua sua nominare solent *Latvissfu* / vel, *Latviuwallodu*. Quo fit, ut in sermone latino plerumque Latvisci appellantur. Cum in Livonia Pontificii vitam agerent, eos Lottavas vocabant a nomine forsan quodam Livonico *Lativis*. Ab hoc nomine *Latvis* / vel *Latvetis* / nomen Lettiorum ortum videtur. Corruit proinde illorum sententia, qui a voce Germanica Lettiorum nomen deducere conseruerunt. Unde vero hoc nomen in lingua Lettica proprie originem habeat, vix tuto dicere licet, & ipsimet Lettii illud ignorant. Martinus Cromerus accuratus alioqui rerum Polonicarum auctor, scripsit, aut forsan conjectavit, incolas Livoniae ortum ducere a Latinis, Livonumque appellationem a Duc: Libone accepisse. *De orig. & reb. gest. Polon. Lib. III.* Ast hac ratione nomen *Latvis* / vel, *Latviscus* derivari posset a Latio, sive, a Latino, quippe cum Latini prioribus temporibus Latiorum nomen gesserint, Latique dicti fuerint. Chronicon Carionis in hanc sententiam de *Livonis* : a Lemoviis, inquit, Livonienses sunt, quos Effluos hodie vocant. Colonos hos puto Levonarum, quos in *Scandia* ponit Ptolemaeus. Sicut Revaliensis urbis incolae Danorum, & Bremenium hodie sunt coloni Rigenses. *lib. IV. p. 464.* Haec, autem Carionis opinio, qua vult Livonos a Lemoviis nominis principia sumere, fundamentis satis infirmis innixa est. Manet igitur haec assertio, nomen Livonorum in idiomate suo locum habere.

§. 5. Su-

§. 5. Supereft tertium nimirum Curonorum nomen,  
aterra sua, in qua habitant, Curonia, sive, Curlandia,  
sic dictorum. Hi in Chronico Carionis & alibi Curetae  
sive, Curetes vocantur. Atque constat inter eruditos,  
antiquissimas olim gentes nomine Curetum insignitas  
fuisse. Quapropter nonnulli in hac sententia sunt, nostros  
Curonos illorum posteros esse, ab iisque ortos in Curo-  
niam venisse. Dissentire hinc teneor, salva tamen aliorum  
opinione, hac in parte melius informatorum. Quod ve-  
ro hanc sententiam non pertinaciter defendam, haec mea  
ratio est, quia Curetes illi, historicis testibus, in Caria  
sedem suam habuerunt. Haec terra ab antiquis suis in-  
colis Caribus nomen duxit. Autumant quidam, Cure-  
tes, Cretes, Cares, & Acarnanes unam gentem fuisse,  
nominibusque tantum diversis appellatam, & lingua  
quadam singulari usam, quae cum sermone graeco haud  
convenit. Hos βαρβαροφωνες Homerus vocavit. *Ibid.*  
*Ilias ejus. p.m. 102.* Curetum autem nostrorum lingua  
Graecorum, ut supra dixi, idiomati multis in rebus re-  
spondet. Accedit & hoc, quod de Caribus, illorumque  
regno, regumque successione pauca monimenta super-  
sint, eo quod scriptoribus, qui res gestas ordine confi-  
gnarent, caruerunt. Laudi huic genti fuit, quod Ma-  
soleum, sive, sepulcrum Mausoli Carium, sive, Cureta-  
rum regis, in Caria conspectum fuerit, magnique aesti-  
matum. Considerat hoc uxor ejus Artemisia, tanti que  
hoc Mausoleum pretii erat, ut inter septem mundi mira-  
cula fuerit connumeratum. Idem fere judicium de Cu-  
ronis nostris ferendum est, quod vix certi quid, neque de  
nomine ipsorum, neque de origine adventuque explo-  
rare potuerim. Neque res habent admiratione dignas,  
ut memoriae posterorum mandarentur.<sup>100</sup> Occurrit insu-  
per

per aliud pro sententia mea argumentum. Strabo au-  
tor est Lib. X, p. 448. veteres Curetes nomen accepisse,  
 $\alpha\pi\circ\tau\tilde{\eta}\varsigma\pi\gamma\zeta\varsigma$ , hoc est, a tonsura, quia anteriorem capitis  
partem, ne crinibus longis tracti ab hostibus caperentur,  
totonderunt. Idem Strabo afferit, quod alii Curetas de-  
rivarint  $\alpha\pi\circ\tau\tilde{\eta}\varsigma\pi\varphi\sigma\tau\zeta\varsigma\varsigma$ , quod Jovem aluisse dicti sint.  
Igitur cum illorum Curetum & nostrorum Curetum, si-  
ve, Curonorum nomen eandem originem non habeat,  
conjectu haud difficile est, nostros Curetas ab illis non es-  
se ortos. Neque tamen adeo contumax sum, quin ei cal-  
culum adjiciam, qui probe instructus pro vero affirmare  
potest, Curonos nostros Caretibus antiquis originem de-  
bere.

§. 6. Vidimus hactenus, unde Esthonum, Lettiorum  
& Curonorum nomina deducantur. Nunc paucis de eo-  
rum linguis agendum non abs re existimo. Variant ite-  
rum Auctores. Chronicon Carionis Livonorum patriae  
„linguae mentionem facit. Æstionum, inquit, nomen  
„reliquum est in Livonia, linguam enim, qua utuntur, qui  
„circa Revaliam habitant longo ambitu, Æstionicam vo-  
„cant, quae a Livoniorum Patria lingua itemque Curetum,  
„& tertia, quam nescio cuius linguae vocabulo, nominant  
„die lettische Sprache prorsus est diversa loc. cit. Consentit  
„rerum septentrionalium scriptor Albertus Cranzius Li-  
„vones, inquit, Esthones, Letti, Curoni, nihil habent in  
„lingua commune. Illae enim quatuor Livoniam tenent  
„linguae per rura lib. VI. VVandal. c. 9. Contradicit Chroni-  
co Carionis & Cranzio Alexander Guagninus in Descript.  
Sarmat. Europ. fol. 72. Plebs illa, inquit, Livonica tribus  
„fere linguis non multum a se differentibus utitur, ad Li-  
„thuanicumque idioma magna ex parte alludunt. Ad  
Chronicon Carionis respondetur, quod sententiam haud  
satis firmam tueatur. Nam lingua Livonica, sive, Cu-  
ronica, sive, quae eadem est, Lettica, unicam tantum lin-

B

guam

quam constituit, atque Ethonica ab hac diversa est. Id quod supra jam diximus in Prop. Livon. Prop. 6. 7. 8. Proinde patet, duas linguas in Livonia generatim sic dicta ad hiberi, alteram Ethonicam, alteram Letticam, sive, Curonicam. Addunt tamen nonnulli tertiam, quam illi, qui ad mare Angaricum vivunt, usurpare dicuntur. Cum vero hujus linguae non sim peritus, judicium meum ad aliquod temporis spatium suspendere necessitas me cogit. Progredior ad Cranzii opinionem, cui fidem dare non possum, Livonicam, Ethonicam, Lithuanicam, & Curonicam linguam per universam Livonię in usu esse. Haec equidem afferuntur, sed minus recte. Cranzius enim Livonię, quod ejus verba indicant, generatim sumit, atque sic omnino in errore versatur. Idioma quippe Lithuanicum neque in Estonia, neque in Livonia speciatim sic dicta, Trans-Dunana nempe, sed ad fines Lithuaniae adhibetur. Lithuaniae nusquam reperiuntur, nisi in finibus Lithuaniae, in Dünzburg / in Seingallen / in Grenzhövischen atque in Curonia, Rügenwischen usque ad Prussorum limitem. Utrum vero hi proprii terrae incolae sint, an ex aliis locis, quod multi volunt, adventiae, nihiljam dicere attinet. Sententiam quoque Guagnini sub censuram vocare conduceat. Tres ille, ut supra commemoravi, linguas statuit, quas ad idioma Lithuaniae alludere putat. Sed haec cum experientia rerum magistra pugnant. Duae enim quod saepius monui, linguae his temporibus audiuntur. Ex his in nonnullis consentit lingua Lettica cum Lithuaniae sermone, quem tamen linguae Livonicae peritus difficulter intelligit. Quoties ipse met Lithuaniae in Patria mea dulcisima loquentes audivi, eos percipere haud potui, sed patientes iis praebui aures. Quod ad Ethonicam linguam spectat, illa prorsus discrepat ab idiomate Lithuaniae. Quamvis vero duae in Livonia linguae dentur, fatendum tamen,

va-

yariam esse dialectum. Qui circa Revaliam, Pernaviam, Dorpatum, Hapłaliam, & Arensburgum habitant, Esthonica lingua utuntur, sed dialectus variat mirum in modum. Qui circa Rigam, Mitoam, Libaviam & Gol dingam vitam agunt, linguam Letticam, sive, Curoniam adhibent, in dialecto autem nonnihil dissentunt. Neque res adeo admiratione digna est. Variam quippe dialectum in aliis etiam linguis cum Orientalibus, tum Occidentalibus observamus. Quae tamen dialectus varians ex una lingua minime constituit duas pluresque linguis. Documento est lingua Graecorum, Latinorum, Germanorum, Gallorum, Italorum, Polonorum, Anglorum, aliorumque, in quibus dialectum variare palam est. Quod judicium in Esthonum, Lettiorum, sive, Curonorum linguam simili ratione cadit. Linguae proinde in Livonia, patriae quasi duae sunt. Tertiam, quod antea dixi, quidam duabus anumerare consueverunt. De qua melius informatus, ut & de Germanorum in Livonia viventium lingua, alibi, si DEUS voluerit, pluribus agam.

§. 7. Quaeritur autem, quaenam propria, vereque Livonica lingua sit? Munsterus in *Cosmog. Lib. V. de German.* c. 354. his cogitationibus indulget, ut existimet, linguam, qua circa Rigam utuntur, vere esse Livonicam, hoc est, Letticam. Quod ad me, unicuique liberum permitto arbitrium, ut statuat quicquid velit. Non possum tamen negare, me ad sententiam accedere illorum, qui scribunt, Esthones per antiquos Livenos esse. Quod hi universam Livonię Prussiamque incoluerint, Cluverus auctor est in *introduct. in Geogr. lib. III. c. I. p. 202. & 209.* Huc quoq; pertinet illud, quod Esthones jam a Tacito Germaniae annumerati sint. *De M. G. c. 45.* Evidem supra putavi, Esthones nostros recentiores esse Āestiis, sive, Āstyis, quorum Tacitus mentionem facit: sed argumentis aliis instrutus, sententiam tunc allatam muto. Consentientem ha-

**beō D. SCHURZFLEISCHIUM** in libello de Ensiferis edito,  
qui Taciti fidem confirmat. Hanc quoque tueri viden-  
tur, qui ad sinum Angaricum, cuius itidem supra mentio-  
nem intuli, sedem suam fixerunt. Hi etiamnum nomi-  
ne Livonorum insigniuntur, & tamen re ipsa Esthones  
sunt, cuius rei lingua eorum Estonica indicio est satis.

§. 8. Ex his omnibus, quae hactenus adducta sunt, con-  
stare poterit, quid de Lettiorum origine judicandum vi-  
deatur. Pauca adhuc afferre lubet, quae ex una altera-  
que meditatione profecta mihi in mentem veniunt. Mi-  
ratus saepe sum, qui factum sit, ut de Lettiorum origine  
scriptores tam varie senserint, deque ea nihil certi poste-  
ritati commendarint. Sed cogitationes haud secus pri-  
mas ac secundas suppressi, quando consideravi, multas  
alias dari gentes, de quarum origine literarum monimen-  
tis vix certi quid consignatum est. Id quod rerum tempo-  
rumque conversionibus, scriptorumque paucitati aut de-  
fectui tribuendum est. Porro mecum apud animum con-  
sultans quaesivi, unde tanta Livonicae linguae diversi-  
tas sit? responsum accepi, ex hominum vitio, qui litera-  
rum cum primis expertes, linguae elegantiam parvi du-  
cunt. Et cum linguam Estonicam & Letticam accura-  
tius examinem, & utriusque varietatem cum animo meo  
cogitem, facile me adduci paterer, ut crederem, Estho-  
nes, quorum lingua ad idioma Finnorum, quod fama ac-  
cipi, alludit, ex Finnia, aut Sueonum regionibus;  
Curonos vero, Lettiosque ex Prussorum terra, Curlan-  
diae vicina, in Livonię accessisse, ibique domicilia sua  
condidisse. Rationem vel inde sumerem, quia hodierna  
adhuc die Lettii in Prussia reperiuntur.

§. 9. Atque hinc de Lettiorum sede quam commodis-  
sime agi potest. Gens illa, quam Lettios vocamus, ma-  
gnam Livoniae partem replet incolitque. Antiquitus  
quippe Lettii ingentem Livoniae partem trans & cis Du-

nam in possessione sua tenuerunt. Patent adhuc longe lateque, & cīs Dunam a Prussorum termino ad Russorum usque fines pertingunt; Trans Dunam vero ab urbe Riga ultra viginti milliaria seū extendunt. Priscis enim temporibus Prusfi, Lithuani, Rusfi, quos Plinius Roxilanos, & Roxanos Strabo Roxos, Roxanos vocat, circum circa Lettios habitarunt. Magna eorum copia, ut antea dixi, in Prussia datur & numeratur. Qui ad sinum Curonorum ab oppido Memelio ad Gedanum usque, ad aquas domos suas habent, Lettii sunt, linguaque Lettica utuntur. Quamvis vero Germanica calleant loquanturque, tamen, quando soli invicem convenienter, Letticam linguam usurpare iis consuetum est. Antiquitusne ibi habitarint, terramque posfederint, tuto satis dici nequit.

§. 10. Quod ad illos attinet, qui Ducatum Curlandiam & Semgalliam incolunt, in tres quasi partes dividi possunt, in Dunaburgeros, sive, Selburgeros, Semgallos & Curonos. Unicam quamvis linguam adhibeant, in omnibus tamen convenientia non est. Multis siquidem verbis Dunaburgeri utuntur, quae apud Semgallos Curonosque non sunt in usu, neque eodem pronuntiant modo. Dunaburgeri alias ab aliis vocantur, seque ipsos vocant Rādēn, sive, Rādingen / & a Russorum termino ad V Valhofiam usque porrecti sunt. Trans Dunam quoque in territoriis Rositarum Ludsen, Marienhauzen reperiuntur. Semgalli a V Valhofia ad Frauenburgum forsitan attingunt. Abhinc usque ad Prussorum fines Curoni conspicuntur, qui a Semgallis & Selburgeris Tami, vernacule, die Lamen vulgo nominantur. Praeterea reperiuntur in ditione Bauskiae & in Curonia ad sinum Angaricum nonnulli, qui linguam Esthonicam exercent, & utramque linguam, cum Esthonicam tum Letticam apprime intelligunt, sacra autem in idiomate Lettico perficere in more possum habent. Qui ad sinum Angaricum vivunt, Esthonus, appellationem respuunt, & nihilominus se Livonos vocant, tum quoque linguam, qua utuntur, Livonicam nominant, ab antiquis Livoniae colonis. Dantur circa hos in territoriis Dunaburgi, Semgalliae, Grenzhofiae, Sessaviae, Curlandiae, Frauenburgi, Ruzaviae & Eserchiae multi Lithuani, qui & linguam Letticam & Lithuanicam pronunciant, sed sacrī in idiomate Lettico operam navant. Illi vero, qui ad terminum Bauskiae confederunt, antiquitus, domo Bauskia ab ordinibus fundata, ex Estonia traducti feruntur. At-

tamen accurate in hodiernum usque diem non compertum est, utrum ad sinum Angaricum habitantes, priscis jam seculis hunc locum incoluerint, aut, an ex Estonia accesserint, atque ibi domicilia sua figere coeperint. Quod ad hos attinet, adeo coniunctim vivunt, consentientque morum similitudine, tantaque inter se concinunt voluntate, ut Lettiis neque adeo familiariter utantur, neque amicos eos sibi adjungant, nedum uxores ex illorum familia ducant. Par pari referunt Lettii, suamque modo gentem in praetio habent, cum eaque amicitiam ineunt, matrimoniaque contrahere solent. Idem observare licet apud Esthones, Livonosque speciatim ita di-  
Etos; Illi horum necessitudinem non ambiunt, & hi eorum consuetudinem adversantur. Illud sane admiratione dignum videtur, quod Esthones Lettiis, & Lettii Estonibus nullam fere fidem habent. Illi vero Esthones, qui ad sinum Angaricum deprehenduntur, quorum saepe jam mentio injecta fuit, majori Lettiis abominationi sunt, quandoquidem non modo apud Germanos, sed etiam apud Lettios ipsos in maximam superstitionis, praestigiarum & artium magicarum veniunt suspicionem. Cum primis Angarici pessimi magi, atque prae aliis dediti incantationibus feruntur, Num vero haec vere de iis enuntientur, unusquisque statuat, quod velit. Negare tamen non possum, metum horroremque occupasse animum, quoties eos homines oculis vidi. Rationem hujus rei vix aliam afferre possum, quam quod magiae suspectos esse fama accepi. De vultu, quem prae se ferunt, horrendo, conspectus testatur. Lettii autem nostri his omnino cum propter fidei, tum vitae conditio-  
nem anteponendi videntur.

## CAP. II.

### De Lettiorum anno, mensibusque.

#### S. I.

**D**E omnibus quidem gentibus constat, quod anni rationem habeant, ad illumque vitam suam dirigant; sed omnes eundem non eodem modo instituerunt, atque variae gentes varias annorum formas habuerunt, ad quorum ordinem sese accommodarunt. Arabes anno lunari usi sunt, annosque suos secundum duodecim menses, quos menses lunares synodicos docti vocant, dinumerarunt. Et de Ægyptiis, Persisque relatum legimus, quod annum juxta Zodi-  
cum computarint, adeo, ut annus trecentos & sexaginta quinque con-

continuerit dies. **D**um enim unumquemque mensem in triginta dies, ex quibus trecenti & sexaginta dies prodeunt, diviserunt, quinque reliquos dies mensi ultimo adjecerunt. Eundem fere in modum Julius Imperator annum ordinavit, **E**gyptiorumque annum non-nihil emendavit. **A**lii per anni tempus motum lunae & solis in Zodiaco observarunt. Id quod Hebraei Graecique fecisse perhibentur. **Q**ua autem ratione id praestiterint, hoc loco, ut dicam, alienum est. **P**ropositum quippe mihi est, ut ostendam, quos diversae gentes annos habuerint, secundum quos se gesserunt. **Q**uemadmodum haec aut illa gens singulares annos enumeravit: ita singularibus quoque temporibus initia illorum fecerunt. **H**ebraei ab aequinoctio verno: Athenienses aestate, quando dies longissimus est: Romani, quorum mores nos sequimur, a solstitio brumali annum supputare coeperunt.

**S. 2** Quodsi Lettios nostros intueri velim, aut nullam, aut exiguum hujus rei notitiam habuerunt. Zodiaci vix periti fuerunt, cursumque lunae Synodicum, vel, periodicum parvi duxerunt. Atque hanc ob causam annum juxta duodecim menses ordinarunt, menses autem solo naturae ductu constituerunt, illosque in novilunio inchoarunt & finierunt. **Q**uo veto tempore annus coepit, de eo altum apud scriptores silentium est. **Q**uare spero, mihi non vitio datum iri, quod certum tempus designare non ausim. **S**um tamen in hac sententia, Livonos veteres perinde ac reliquas gentes propter ingeneratam a natura scientiam, una etiam alteraque Zodiaci scientia imbutos, annum, vel brevissimo hyemis, vel longissimo aestatis die incepisse. **I**d quod probare conor, quia menses nobiscum communes habent.

**S. 3.** **JANUARIUS** in ordine primus est mensis: Hunc Lettii Seemas = Månes / hoc est, mensem hybernum, quia eo tempore omnia frigent, vocare consueverunt. Februarium Sivâzsu-Månes / id est, mensem candelarum nominarunt, eo quod impiae olim gentes hoc mense idolo Diti, & Saturno candelas consecrarent. Martium Sårsnu-Månes nuncuparunt, quoniam nix solis calore liquefacta tempore nocturno congelatur, quasique crassi corticis induit formam. Appellarunt quoque hunc mensem, Galloschæ-Månes / hoc est, mensem columbarum, quod videlicet per,

id

id tempus columbae soleant adventare : Aprilis **Gillu**-Månes abetulis flentibus nomen tulit, quarum aqua potus loco usi sunt.  
*Vid. Dissertat. nostra, de vet. Liv. nat. c. I. §. 3.* Majus insignitur **Leppu**-Månes/ quippe ita dictus a frondibus, quas hoc mense efflorescere constat. Vocatus ab allis hic mensis **Gåsas**-Månes/ quia hoc plerumque mense seminari solet. Junii nomen fuit **See-  
dn**-Månes/ hoc est, mensis florum, quoniam hoc mense arbores, filigo, ceteraeque fruges deflorescunt. Julio nomen fuit **Leepu**-Månes/ hoc est, tiliarum mensis, quae contra naturam & rationem omnium arborum frugumque hoc demum mense florent, Augustum nomine ornarunt **Sunnu**-Månes/ id est, canum mensem dicunt propter dies caniculares, qui in hunc mensem incident, quodque canes ob magnum aestum, experientia testante, in furem agantur. Notandum, quod alii Lettiorum decem, alii octo menses consueverint numerare. Hinc fit, ut Augustum cum Julio confundant, & utrumque mensem Leepu vel, Sunnu-Månes vocare soleant. Semptembri nomen inditum **Gillu** Månes/ hoc est, panic mensis, quod hoc tempore floret. Postquam enim reliquae plantae defloruerunt, panicum autumno floris initium dicit. Nominatur praetera hic mensis **Wässeliu**-Månes/ id est, mensis sanus, eo quod vulnera, diebus canicularibus accepta, melius hoc mense curentur. October appellationem sortitus **Wälla**-Månes/ vel, **Gemlicka**-Månes. Quod nomen traxit ex superstitione animas cibandi ritu, de quo ame supra actum est in *Dissert. de Sacris Livon. c. I. §. 6.* Conf. *Disput. de ritibus Livonor. c. III. §. 1.* Quos epulandi dies **Deewa**-Deenas/ hoc est, dies Deorum, vocitarunt! Novembrem **Gallas**-Månes/ id est, mensem hybernum, ob frigus, quod tunc oritur, nomine tituloque affecerunt. Mensis denique December audiit **Wilku**-Månes/ hoc est, luporum mensis, qui hoc mense circumvagantur, rapinas quaerunt, atque adeo hominibus aequa ac pecoribus noxam inferunt satis magnam. Isdem mensium nominibus etiamnum Lettii utuntur. Atque tantum de Lettiorum mensibus, juxta quos annum constituerunt, vitamque suam transge-  
runt. Ad ultimum gratiis DEO persolutis,  
religiose eundem precor, ut mihi porro  
clementer adsit.



Coll. digg. A. 7. misc. 97